

ASCONIVS IN MILONIANAM

contentiones non possent, et ob id mense Ianuario
 nulli dum neque consules neque praetores essent tra-
 hereturque dies eodem quo antea modo—cum Milo
 quam primum comitia confici vellet confideretque cum
 5 bonorum studiis, quod obsistebat Clodio, tum etiam populo
 propter effusas largitiones impensasque ludorum scaeni-
 corum ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patri-
 monia effudisse eum Cicero significat; competitores eius
 trahere vellent, ideoque Pompeius gener Scipionis et
 10 T. Munatius tribunus plebis referri ad senatum de patriciis
 convocandis qui interregem proderent non essent passi,
 cum interregem prodere stata res esset—: a. d. XIII Kal.
 Febr.—Acta etenim magis sequenda et ipsam orationem,
 quae Actis congruit, puto quam Fenestellam qui a. d. XIII
 15 Kal. Febr. tradit—Milo Lanuvium, ex quo erat municipio et
 ubi tum dictator, profectus est ad flaminem prodendum po-
 stera die. Occurrit ei circa horam nonam Clodius paulo ultra
 Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum in quo Bonae
 Deae sacellum est; erat autem allocutus decuriones Arici-
 20 norum. Vehebatur Clodius equo; servi xxx fere expediti,
 ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti
 sequebantur. Erant cum Clodio praeterea tres comites
 eius, ex quibus eques Romanus unus C. Causinius Schola,
 duo de plebe noti homines P. Pomponius, C. Clodius.
 25 Milo raeda vehebatur cum uxore Fausta, filia L. Sullae
 dictatoris, et M. Fufio familiari suo. Sequebatur eos

3 cum *Baiter*: dum Σ 4 conficeretque Σ , *corr. Rinkes* 5
 obsidebat *S* 6 impensas quoque Σ , *corr. Baiter* 7 gladiatorii
P: gladiatoru; *M*: gladiatorum *S* patrimonia π , *M*: β lia
S: prelia *P*¹ 9 genere *S* 10 l. numatius Σ , *corr. Manutius*
 12 proderent *M*¹ stata res esset *Mommsen*: obstatores essent
S: oratores esset *P*: ostatores esset *M*: *fort.* hortatus eos esset (*cf.*
 33. 1) XIII *Hotoman*: III *SP*: tersa *M* 13 magis *om.* *M*
 16 ibi *P* prodendum. Postera *P* 21 iter facientibus *P*:
 interficientibus *SM* 23 eques r. *P*: eque (aeque *S*) sñ. *SM*
 Cassinius Σ , *corr. Halm* 24 noti *Madvig*: noui *P*: non *SM*
 C. Clodius *add. Manutius* 26 fusio Σ , *corr. Manutius* familiare
 Σ , *corr. ed. Ald.*

CIC. ORATT.

b